

mencionem fieri de spiritu sancto. sed tunc so-
lum quando in spiritus ita ponit vel per terminos
secum positos ita specificatur aut limitat. ut de
spiritu sancto qui est tertia persona in diuinis.
et de nullo alio spiritu conuenienter accipiatur.
ubi enim secus. non oportet tunc in conclusione col-
lecte addere eiusdem. ut cum petimus deum patrem. ut
det nobis spiritum conpunctionis. vel spiritum agendi
que recta sunt. et huiusmodi similia **Exemplum**
ut in istis collectis **Deus** qui humilacione. que dicitur
in benedictione cinerum **Omnipotens** sempiternus deus abesto
que dicitur in benedictione Fontis baptismatis **Te**
ibi **Largire** nobis quesumus domine. que habet dominica
octaua **Et tamen** de collectis que ad patrem diri-
guntur **Sequitur** nunc de illis. que ad filium diriguntur
Si in collecta primo ad filium diriguntur. vel tunc intra
illam fit mencio alterius persone in diuinis. vel nulla
talis fit mencio. Si nulla. tunc in conclusione nichil
addendum erit. sed simpliciter concludendum est. in
secunda persona **Qui** uiuis et regnas etc. **Exemplum** ut
ut in illis collectis **Perpetua** nos ihesu christe **Deus**
qui nobis. sub sacramento. Si vero in collecta que ad
filium diriguntur. mencio fiat patris. et non spiritus sancti
tunc tantum addendum est in conclusione. eodem suo
loco **Exemplum** ut in illa collecta siue potius con-
plenda in festo clauorum et lancee. **Domine** ihesu
criste fili dei uiui. Si vero in huiusmodi collecta
que ad filium diriguntur. mencio fiat de spiritu
sancto. et non de patre. tunc in conclusione tamen
addendum erit eiusdem suo loco.

et dicitur
filium dicitur

et dicitur

et dicitur

20

30